

flectunt, sed jejunium usque ad vesperum observant; tamen post vespervas refectionem faciunt de cotto et vino. In sancti Stephani et sancti Joannis evangelistæ, et in feria secunda, et in feria tertia post Pascha, novem quidem lectiones faciunt; nam missa ita agitur, sicut in die Dominico. In istis omnibus supra scriptis festivitibus semper ad matutinum *Dominus regnavit* canitur, et genua non flectuntur, et capitulum et lectio ad seram non leguntur. Nam in aliis omnibus sanctorum novem quidem lectiones faciunt, matutinum et missa ita agitur, sicut in quotidianis diebus, genua flectent, jejunium observent usque ad horam statutam; *Miserere mei, Deus*, ad vespervas et matutinum et ad primam non cantent: nam cæteris horis cantatur, præter si in Dominico die venerit, si contigerit, celebratur sicut Dominica. De divisione matutini et nocturni ita agitur. A Kalendis novembris usque in vigiliam Cœnæ Domini, sicut sanctus Benedictus prædestinavit. Præterea in vigilia Natalis Domini, et in omnibus sanctorum et Dominicis diebus, quod minime

licet dividere. A Natali Domini usque Epiphaniam genua non flectuntur: *Miserere mei, Deus*, in oratione publica ad nullum officium cantant usque in octavam Natalis Domini. Similiter a Pascha usque octavam Pentecosten; postea vero cantent. De rectorio autem omnia adimpleri debent, sicut sanctus Benedictus dicit, sive æstatis, sive hiemis, sive quadragesimæ, omnia secundum tempus suum. Præter quod consuetudo est, sive sursum, sive deorsum, ut non reficiant ad nonam, usque dum vindemiaverint. Cum autem liberi a vindemia fuerint, statim ad nonam horam reficiunt, et post vespervas gustum manducant, et bibunt iterum, quod in regula non est scriptum. Similiter et quinquagesima post refectionem secundum consuetudinem, antequam lectio legatur, tota hebdomada bibunt, quod nec istud in regula dicitur. Quando autem mandatum faciunt, si Dominus abundantiam vini dederit, semper bibunt; si autem exiguum fuerit, abstinebunt.

ANNO DOMINI DCCCLXXXIV.

# HARMOTUS

SANGALLENSIS ABBAS

## INSCRIPTIONES IN TEMPLO SANCTI OTHMARI

(Apud Canisium lect. antiq.)

*Templum sancti Othmari pingi fecit Harmotus abbas, atque in pariete uno pingebatur Sapientia, cum hoc Patrum elogio.*

O generosa parens, cunctis gratissima doctis.  
O decus imperii, rectrix dignissima mundi,  
Soleque splendidior, fulvo pretiosior auro  
Quam præclara nites toto, Sapientia, mundo.  
Aspice quam pulchro decorata est ordine mater  
Natarum, clare dives Sapientia fulgens.

*In pariete altero septem Sapientes.*

Continet hic paries veterum monumenta sophorum,  
Claro qui totum docuerunt tramite mundum.

*In alia parte turba beatorum Deo assistentium.*

Agmina sanctorum laudantia voce serena  
Ante thronum Domini sistunt per sæcula cuncta.

*In pariete super ostium.*

Hic Deus est præsens puro poscentibus ore,  
Dans miseris veniam, contritis corde medelam.